

126. *Aufzeichnung im Zwickauer Rechtsbuch über die Beilegung eines Streites zwischen dem Pfarrer Marquard einerseits und dem Gardian Johannes sowie dem Konvent des Franziskanerklosters in Zwickau andererseits wegen der Abhaltung des Gottesdienstes.*

1353 März 2

Besiegelte Ausfertigung nicht zu ermitteln. — Gleichzeitige Abschrift mit Beweiskraft: Stadtarchiv Zwickau, IIIx¹ 141b (Zwickauer Rechtsbuch), fol. 2r^(Sp. 1)–3v^(Sp. 1) (14. Jh.) (A₂). — Zur Sache.: Herzog, Chronik II, S. 74 f.

Anno ab incarnatione domini M^oCCC^{mo}LIII^o, errores discordia et litigia inter religiosos viros, videlicet dominum Marquardum ecclesie nostre parrochialis in Zwickow plebanum ex una et inter fratrem Johannem gardianum et fratres ordinis minorum parte exaltera, super certis temporibus primariarum missarum nostrarum in ecclesiis nostris parrochialibus celebrandarum, que a nostris progenitoribus et predecessoribus in remedium animarum omnium parentum suorum nec non omnium fidelium defunctorum in salutem dotate et ordinate temporibus taxatis et deputatis existunt, etiam dubietas periculosa animarum et dampnosa de confessionibus et confessoribus plebani licite et digne faciendi et temporibus consuetis predicandi divertabantur^{a)}. In quibus erroribus, discordiis et litigiis omnis fidelis plebanus scandalizabatur. Et quia etiam ipsi alterutrum in suis iuribus, privilegiis et libertatibus preiudicari et iniurari opinati sunt, unde ad eradicandum dictos errores et litigia futura cavendum concordiamque inferendam et inter ipsos caritatis unionem in posterum reservandam nos Hermannus de Liechtenstein dicte civitatis proconsul ceterique consules infrascripti nec non de consilio et auxilio prudentum virorum infrascriptorum ipsorum libero arbitrio, benivolencia et consensu accedente recognoscimus compositionem amicabilem infrascriptam et factam, quam tenore presentium nunc et in posterum publice volumus conprotestari^{a)}. Primo siquidem ex veridica et patenti cognitione privilegiorum nostrorum super nostrarum primariarum missarum temporis celebratione confirmatarum et ipsorum assercionem diligenter inspectam et de libertatibus iuris ipsorum approbati, cassati et reprobati nec non suspensi diligenti examine litteratorum virorum doctrinam recepti ordinavimus et ordinamus et volentes eam sine aliqua malignitatis transmutacione ab eisdem et successoribus observari eorundem, videlicet quod iidem plebanus, gardianus et fratres mutua vicissitudine fideliter se promoveant et amoris concordia in suis sermonibus, predicacionibus confessionibus et factis amplectentur. Secundo ordinavimus et ordinamus, quod dictus dominus Marquardus aut sui capellani vel quicumque nomine ipsius plebani primas missas in ecclesiis nostris parrochialibus, videlicet beate virginis Marie et beate Katherine, in aurora diei tam tempore hyemali quam estivali simul et semel officiare debent in altaribus prope deputatis et descriptis et omnes prime misse mane celebrande cantu integro et sollempnitate melodye peragere dignentur et per anni circulum debite debent observari et conswete, et summarum missarum beate virginis in choris ecclesiarum nostrarum sollempnitates sollempni melodu vel cantu antique consuetudinis preservacione deinceps debent observari. Nemo hesitet, credendum est